

912.

1286 d. 14 Maj.

MARGARETA JOHANSDOTTERS Testaments- och Gåfvobref på gården Norör i Wermeland, till Nydala kloster.

A. 3. x. 1: 26.

In nomine patris & filii & spiritus sancti Amen. Ego Margareta Johannis dicti wermskæ quondam filia in extremis laborans sarcinamque delictorum meorum uehementer agnoscens in eorundem minoracionem remissionemque peccatorum condo testamentum meum in hunc modum uidelicet vt ecclesie & fratribus monasterij Noueuallis domino deo seruientibus aput quos locum eligo sepulture predium meum dictum norør cum omnibus suis attinenciis, uidelicet agris. pratis. Siluis & piscacionibus, quod in terra Wermalandhe situm est cum consensu & voluntate predilecte matris mee, que mihi heres est specialis & singularis consenciente eciam dilecto coniuge suo vitrico meo Domino Æringiselo inperpetuum confero possidendum. Ne igitur predictis fratribus uel eorum successoribus super donacione predicta aliqua possit in posterum calumpnia suboriri presentem litteram impressione sigilli memorati vitrici mei domini Æringisili quia sigillum proprium non habui nec dilecta mater mea in pleniorum premissorum euidentiam tradidi sigillatam, Presentibus Domino Sigmundo presbitero de Owaxthorp, botulpho de Nýbili. Rørico de wernæmo. Gøtæ de horghum & aliis quamplurimis honestis uiris & discretis, Datum anno Domini M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.LXXX<sup>o</sup>.VI<sup>o</sup>. Pridie Jdus Majj.

Sigillet bortfallet.

913.

1286 d. 22 Maj.

Stockholm.

Konung MAGNUS II:s Bref på vissa kronans andelar i hemmennen Norrby i Wingru och Husaby i Brö samt fisket under bron och en viss del af Upsala å till Utvalde ÅrkeBisk. MAGNUS och Upsala Domkyrka i utbyte emot dess göds på Walmundsöen, och i Ekeby samt Stockholms hospitals grund, med undantag af sjelfva tomten, hvarpå Hospitalet fordom stått.

A. 7. a. 1: 18.

Omnibus christi fidelibus presentes litteras visuris vel auditoris, MAGNUS Dei gracia sweoꝝum gothoꝝumque rex, Salutem in domino sempiternam, Quia summus rerum opifex deus, de rebus humanis sic prouidit vt in eis nichil esset, quod non varietati temporum seu transmutacioni subiaceret. Profecto patet omnium mortalium facta temporis motum sequi & per consequens non participare naturam perpetuj, sed ex sui natura esse transitoria & ca-

& caduca Ne ergo cum tempore elabantur, que aguntur in tempore; necesse est ut scripture aminiculo fulciantur, Hac igitur consideratione nos inducti volentes permutationem prediorum regalium et ecclesie vppsalensis factam per nos ex vna parte. & Reuerendum patrem dominum Magnum dei gracia Electum vppsalensem consecratum. ex altera, in noticiam tam posteriorum quam presencium, devenire, presenti scripti tenore, significamus vniuersis, Quod nos predia corone regalis sita in wingru in villa Norby, viginti duas oras terre & dimidiam marcham in Hosæby in bro, cum aruis. pratis. agris, piscacionibus. siluis. venacionibus, ac omnibus & singulis eisdem prediis attinentibus, Jtem piscaturam sub ponte. Arusie que nunc vppsalia dicitur, & medietatem ampnis a piscatura predicta vsque ad finem brachii molendinaris, que tribus ibidem lmitibus designatur, & continet in longitudine sexcentos & quinquaginta pedes, pro prediis dicti domini Electi, & ecclesie sue videlicet in Walmunzø, tredecim oris terre, cum dimidia & duobus denariis terre et dimidio, Jtem pro duodecim oris terre in echybý. cum agris. pratis. piscacionibus, siluis, ac singulis aliis eisdem prediis attinentibus. Jtem pro area tota cýmeterio dumtaxat excepto in qua situm quandoque fuerat scenodochium Leprosorum stokholmis cum predicto domino, M, & ecclesia vpsalensis, permutamus in ipsum & ecclesiam predictam jus proprietatis & possessionis dictarum possessionum. pleno jure. transferentes, Huic autem contractuj nostro interfuerunt, Reuerendj patres, domini Anundus strengenensis, petrus arusiensis dei gracia episcopi. Jtem domini Johannes archydiaconus, andreas prepositus, nicholaus decanus, Olauus & Karolus canonici vpsalenses, Jtem dominus Johannes prepositus strengenensis, Jtem domini magnus Jon son. knut mathies son, Anundus Harald son, wlpH Hulmgers son, wernerus brunkogh, thuri kyætil son, hulmuidus arbiornar son Rød kyældor son, philippus finwidar son, Israhel legifer tiundie, Nicholaus ingimundar son, Benedictus bo son, Benedictus Peter son, jtem haquinus atundie & bero Sudermannie legiferi, & Ericus østens son, Quia vero non solum dicta sed etiam facta mortalium, obliuionis senciunt dispendium, ne nostre commutacionis tam solempniter celebrate, tam racionabiliter contracte & tam vtrique parti necessarie pereat testimonium nos presentem Litteram sigillo nostro vna cum sigillis dominorum episcoporum superius memoratorum, fecimus communiri, per ipsam. omnium predictam nostram permutationem calumpniari volentium calumpniam perpetuis temporibus excludentes, Actum & Datum stokholmis anno domini M°,CC.LXXX sexto, vndecimo kal. junij, Anno Regni nostri Duodecimo, Interliniarem approbamus.

Sigillen 3 till antal ära mest bortfallna.

Interlinearem synes hafva afseende på öfverskrifna ordet calumpniam.

*Sv. Diplom. II.*